

finem sibi practice proponendo ; — neque iste est finis socialis auctoritatis ut se omnibus varietatibus illis immisceat ; *e.*

*Ad 2 part. (sed domesticae.)* Patrisfamilias munus proprium sua natura est, procurare liberorum conservationem, et educationem convenientem propriae conditioni et necessitatibus, tum corporalem, tum intellectualem et moralem ; *e.*

*Ad 3 part. (et proprii organi.)* Opus ejus fructus omnibus utilis vel imo necessarius est, ad quod tamen per seipsos perficiendum non omnes et singuli apti sunt, munus est proprii ad hoc instituendi organi ; *a.* tale opus est instructio et educatio in scholis danda ; *e.*

PROB. 2a PARS (*per accidens.*) Ad bonum commune requiritur ut debitae cognitiones vulgo acquirantur, propriumque ad hoc, sicut ad agriculturam, etc., organum necesse est ; *a.* tale organum auctoritas fovere debet, et si languet, stimulis excitare, si quando totum deficeret, supplere donec sufficienter instituatur ; *e.*

OBJIC. 1o Si plena omnibus libertas relinquatur, scholae erigentur multae ultra modum et necessitatem ; *a.* ita aliae aliis nocebunt et detrimentum publicum sequetur ; *e* — R. 1 ) *n. maj.* (nemo hoc timeat, sicut de multiplicis populi et tabernis timor non est, ita multo minus timendum in re difficiliore). — R. 2) *tr. maj.* — *d. maj.* — *d. min.* 1 *part.* meliores vincent, deteriores peribunt, *c* ; secus, *n.* (agitur nempe hic de doctrinis profanis, de methodis mere scientificis, in quibus passiones et cordis perversitas ac partium factionumque studium nihil influunt, v. c. de grammatica, de mathesi, de philologia ; nam de aliis mox dicetur libertatem non esse concedendam.

OBJIC. 2o Saltem aliquae scholae tales sunt, ut spectata materia docenda et fine intento, debeat auctoritas civiles eas dirigere, imo ipsa sola videatur eas dirigere posse ; v. c. speciales scholae de re militari, de re diplomatica, etc... — R. *d.* dummodo istae habeantur per modum academicarum praelectionum quibus adulti, non parvi adolescentes, de his rebus spe-